

domini Angeli de Sancta cruce militis Regii prothontini Baroli, iuxta vineas domus hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani in Barolo, iuxta vineas heredum Thomasii de faresio iuxta vineam notarii Angeli de flore, et iuxta vineas Iohannis de turri, Iardenus unus in palude Baroli cum arboribus diversorum generum qui est vinealia tria a duabus partibus iuxta vias et iuxta iardenum Sansonis de lilla et alios confines. Item pecie de terra vacua sex contigue, Capacitatis in semine salmarum quadraginta unius aut si plus vel minus sunt que fuerunt Iacobi de nicastro cum domo existente in pertinentiis Baroli olim Cannarum ultra flumen Aufidi in loco ubi dicitur Raptus, iuxta terras hospitalis que dicuntur velum, iuxta terras heredum domini Roberti de caro Angelo a duabus partibus, iuxta terras que fuerunt sire Bonelli dompne cite, iuxta terras heredum domini Bartholomei Bonelli, iuxta terras heredum philippi de terreno, iuxta terras que fuerunt quondam ordinis templi et si qui alii sunt confines. Pecia una de terra seminaria que fuit dicti Bonelli de dompna cita existens in eisdem pertinentiis Baroli olim Cannarum iuxta predictas terras que fuerunt Iacobi de nicastro, iuxta terras dictorum heredum domini Roberti de caro Angelo iuxta terras Monasterii Sancti Samuelis de Barolo et si qui alii sunt confines. Pecia una de terra que fuit laurentii de terreno capacitatis in semine salmarum duarum vel plus vel minus in eisdem pertinentiis in loco qui dicitur de Sancta Maria de Raptu, iuxta sepredictas terras iuxta terras heredum quondam Mililli de sire Umfredo a tribus partibus iuxta terras quondam templariorum et iuxta terras theotonicorum, Item in loco sancti Eustasii domus una cum Iardeno et terris iuxta viam puplicam et si qui alii sunt confines, Item et terre que fuerunt Riccardi sire Petri et cite uxoris iuxta terras heredum Andree de argentera, domini Iohannis de sire Umfredo, vitalis Bonelli et hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani de Barolo. Unde ad futuram Memoriam, et dictorum procuratorum et eiusdem Archipresbiteri e Capituli et eiusdem Maioris Ecclesie Sancte Marie de Episcopo de Barolo caute-
lam presens *etc.*

Quod scripsi ego predictus Gualterius puplicus Baroli notarius qui predictis rogatus interfui et meo signo consueto signavi. (*Segue il segno*).

† Nicolaus qui supra Iudex.

† Nicolaus chamardi testatur.